



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

474. An imponi possit pensio super fructibus Ecclesiæ, seu beneficii necdum erecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

designata sunt, gravari possunt & soleant, dicitur paulo post de cōstituta pensione in distributionib⁹.

Quaestio 471. An, & qualiter imponi possit pensio praebeatis theologalibus?

Respondet Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 51.* negativè, dicens, hanc esse indolem praebeatis theologalibus, ut nullius pensionis onere gravari possit, ejusdemq; exemptionis privilegio potiri praebeatis praecceptorales: citat pro hoc Lovet. *lit. p. n. 46.* subjungit tamen *n. 52.* quòd nihilominus is, qui resignationi consentit, & qui hujusmodi beneficia sub onere pensionis sibi resignata acceptavit, quamvis reclamaret ad pensionis solutionem, condemnatus tamen sit ratione perfidiae & doli.

Quaestio 472. An imponi possit & soleat pensio super beneficiis commendatis?

Respondeo: Posse imponi Abbatibus aliisque beneficiis, quae hodie de more commendantur, hoc est, in perpetuum; cum illa idem juris habeant, quòd beneficia collata. Tamb. *de jure Abb. to. 1. d. 13. q. 7. n. 3.* Azor *p. 2. l. 8. c. 8. q. 8.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 19.* citantes Gamb. *de pot. Leg. tit. de pens. n. 154. & c.*

Quaestio 473. An ex causa resignationis imponi possit pensio super beneficio tertio, hoc est, non in beneficio resignato & collato Ioanni, sed in alio beneficio, quòd idem Ioannes jam ante habebat?

Respondeo affirmativè; sic Azor *l. c. q. 9.* ait, ubi receptum, ut clerico dimittenti suum beneficium in favorem alterius, reservetur seu constitutur pensio in alio beneficio, quòd resignatarius habebat, nimirum si beneficium resignatum nequit onus pensionis sustinere ob rebus suos redditus; tunc enim imponi pensionem vel simpliciter in aliis resignatarii beneficiis, vel simul in beneficio ei resignato, & in alio ab eo jam antè habito.

Quaestio 474. An imponi possit pensio super fructibus Ecclesiae, seu beneficii necdum erecti?

Respondeo negativè: Corrad. *in pr. benef. l. 2. c. 7. n. 7.* cum enim tale beneficium non sit in rerum natura ante erectionem ejus in titulum, per consequens super eo imponi nequit pensio: & sicut Ecclesia non erecta in titulum non potest impetrari, ita etiam nequit ut beneficium gravari pensione; quia hoc esset dare accedens sine subiecto, quòd neque natura, neque jus admittit. Corrad. *l. c. n. 8. & 9.* ubi etiam, quòd proinde fuerit annullata pensio, etiam si pensionarius esset in quasi possessione exigendi.

Quaestio 475. Num super fundo unius beneficii imponi possit pensio pro dote alterius beneficii?

Respondet affirmativè. Lott. *l. 1. q. 3. n. 17.* citans Abb. *in c. conquerente. de cleric. non resid. n. 1.* Gig. *de de pens. q. 28. n. 20.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 42.* Ratio est, quia hoc onus reale & perpetuum est, non extinguibile cum persona, sed cum ipsa re transmissibile ad quemcumque possessorem seu successorem. Lott. *ibid. n. 18.* Neque etiam minus talis redditus annui assignati in dotem beneficii, si ex certo fundo debeantur, dicantur fructus fundales, seu redditus veluti cohaerentes fundo, cujus propterea naturam sortiuntur, quam dicatur dotalis fundus, seu dotale praedium, quòd in dotem datum est mulieri. Lott. *loc. cit. n. 15 & 16.*

Quaestio 476. An ex causa resignationis constitui quoque possit pensio super beneficio tertii, v. g. Titio resignanti in favorem Cajo, constitui pensio in beneficio Sempronii?

Respondet affirmativè Azor *loc. cit. q. 10.* dum nimirum beneficium resignatum adeo tenue est, ut pensionem ferre nequeat, neque etiam Cajo resignatarius aliud beneficium habeat, in quo dicta pensio constitui possit: nihil enim vetare, quòd minus id fiat auctoritate Papae, & hac ratione evitetur omnis species simonia. Idem tenet Paris. *l. 6. q. 2. n. 20. & 23.* dicens, solere id fieri etiam in resignatione parochialis, dum ejus valor non excedit centum ducatos; quamvis expressè subjungat *cit. n. 23.* in fine haec verba: pensio autem super beneficio tertii non de facili conceditur ob fraudes, quae fieri possent. Ait etiam Azor, minimè hac ratione imponi pensionem Cajo dissentiente. Unde inferitur, multò magis requirendum illius tertii, nimirum Sempronii consensum, utpote qui gravatur non gravato Cajo. Porro talem impositam pensionem super beneficio tertii validam fore, etiam si excedat medietatem fructuum, ait Paris. *loc. cit. n. 64.* in fine.

Quaestio 477. An pensio reservata super pluribus beneficiis intelligatur reservata in solidum?

Respondeo: Non esse intelligendam reservatam in solidum, sed pro rata. Lott. *l. 1. q. 38. n. 20.* citans Abb. *in c. constitutus. de religiof. domib. n. 8.* cujus doctrinam secutam ait esse Rotam, ita ut jam, si Papa reservavit pensionem super pluribus beneficiis, quibus unum eundemque providit, & dein eo proviso seu titulari mortuo singula illa beneficia gravata singulis personis conferat, pensionarius agere non possit contra unam illarum pro solida pensione, uti id posset, & foret in ejus electione retinere solidam pensionem super uno corpore illorum beneficiorum, modò id esset illius capax, si reservatio pensionis facta in solidum. Lott. *loc. cit. n. 19.* juncto *n. 21.* Eandem doctrinam tradit Lott. *l. 1. q. 39. n. 84.* ubi ait, reservatà pensione super pluribus beneficiis vel principaliter unitis, vel ex dispensatione uni tantum collatis, si vel sequatur unionis dissolutio, vel pluribus ea contingat conferri, fiet divisio oneris, nempe pensionis pro modo fructuum singulorum. citat pro hoc Mantica *decis. 224. n. 2. & 3.* & Rotam *decis. 181. n. 3. p. 1. recent.* Idem jam ante Lott. docuerat Paris. *l. 6. q. 2. n. 64.* ex Gamb. *de pot. Leg. l. 6. tit. de pens. n. 667.* & n. 664. ubi is: quòd si duo illa beneficia gravata pensione erant aequalis valoris, aequaliter onus dividi debere, si inaequalis valoris, divisio facienda pro rata fructuum.

Quaestio 478. An, & qualiter pensio reservetur, & residere dicatur in fructibus?

Respondeo tamen causa materialis pensionis est certa pecuniarum quantitas, pensio tamen imponitur & imposita dicitur super fructibus & emolumentis, quatenus hi fructus sint in simplice obligatione, non autem in solutione. Lott. *l. 1. q. 35. n. 52.* usus siquidem Sedis Apostolicae non est, reservare pensiones de fructibus, sed de certa pecuniae quantitate. Lott. *ibid. n. 53.* Et licet ex magna causa & intuitu personae alicujus extimae concedatur quandoque gratia reservationis fructuum, vel quotae illorum, ea tamen non dicitur pensio, sed reservatio fructuum aut quotae nuncupatio